



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

IX. Gladiator. Pro filio contra patrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

DECLAMATIO IX.

GLADIATOR.

ARGUMENTUM.

Abdicare & recusare liceat. Pauperis & divitis inimicorum filii juvenes amicerant. Filius divitis cum in piratas incidisset, scripsit patri de redemptione. Illo morante profectus pauperis filius cum amicum apud piratas non invenisset, quia lamisæ venerat, pervenit in civitatem in qua munus parabatur, sub tempus ipsum quo pugnaturus erat divitis filius. Pactus est cum munerario pauper adolescens, ut vicariis operis redimeret amicum, petiitque ut si egeret pauper pater, alimenta ei præstaret. Ipse in pugna occisus est. Divitis filius reversus egentem invenit pauperem, palam cepit alere. abdicatur.

PRO FILIO CONTRA PATREM.

NEMINEM unquam, judices, intra tam breve ætatis suæ spatium plura terra marique perpeffum, quam quæ proxima peregrinatione vel tuli, vel timui, vel vidi, facilis, ut opinor, fides est, cum ex omnibus quos novimus mortalibus unus nominari me miserior possit, quem infelicem ego feci. Tamen in hac quoque omnia excogitantis in me fortunæ violentia, confiteor nunquam hunc me concepisse animo metum, me post redemptum per alienas manus filium, displicere patri meo misericordia. Illas verebar magis jam non tacitas vulgi opiniones, quibus crudelitatis atque sævitæ reus peragor apud plerosque sanctos & graves homines. Nondum excusare potui quod redemptus sum. Objicitur mihi orbatus senex, & ille qui modo salvo filio etiam contra divitem steterat, amissis in uno juvene omnibus bonis inimicæ domus supplex. Licet enim totas advocemus in odia fortunæ vires, & egentem unum senem universa gratiæ mole calcemus, confitendum est tamen, plus amici nocuimus quam inimici. Quin ipsa prorogatæ quotidiana stipe infelicis animæ videtur quodammodo maligna clementia. Quod enim beneficium est efficere ut vivat orbis? Unum tamen vel gravius crimen infelix hæc abdicationis meæ fortuna defendit, quod vix ad sustinendum

dum spiritum sufficientes cibos, prorsus tantum mortis impedimenta, avara manu dederim. Puto jam ignoscetis omnes, si plus præstare non potui invito patre. Quamquam, iudices, oboritur animo meo nonnunquam & illa suspicio, quod patrem non alimenta uni seni parce vivere affueto, nec liberaliter data, nec diu danda, in offensam meam compulerint. Quantulum est enim facultatibus divitis, quod sub patre sane tenaci filio familiæ superest? Ac si foret majus forte momentum, quis tamen parens tam durus est, ut propter aliquam impensam carere filio velit, quod ipse celatus sit, quod non suæ misericordiæ pauperem commiserim, non rogaverim, præsertim qui quicquid unquam petii à patre, exoravi? Sed neque hæc ultimo fulmine castigari meruit differendis precibus verecunda cunctatio. Qui dum tempus oportunum, faciles aditus, hilariorum animum capto, interim volui superesse cui ignosceret. Neque inficior tamen fuisse me lentiorum quam oportuit: tametsi hoc præcipue habere videor patris simile. Sed si ulla emendatio pœnitentia est, hic in publico vobis adhibitis rogabo. Non ego æs alienum luxuria contraxi, nec profusus in vitia fortuna nostra male usus sum. Redemptionis meæ pretium debeo. Si impetro, intelligam verum esse quod quidam opinantur, ambitiosum patrem publicare voluisse domus suæ misericordiam ne viderentur pauperes tantum vitam inimicis suis dedisse. Si perseverat ut porrectos egenti cibos mea fame rependat, & expulsus omnibus bonis filium similem faciat inimico, vereor ne iniquis æstimatoribus inexpiabilis illius & sæpe reprehensi odii culpa videatur penes patrem, qui tam facile irascitur. Verum enim sic placet, fortunæ magis moribus dissidere, quam suis: nam & paupertatis est proprium, quando alia deficiunt, exercere libertatem: & dum contemptus fama vitatur, potentiores vel ambitiose offendere: & nacta bonam conscientiam magna fortuna, indignius imparem adversarium patitur. Ergo conferuit, ut solet, casus duratura

longius à parvis initiis odia, dum contumeliam humilitas facilius intelligit, dignitas gravius. Neque ulla fuit æmulationis (quæ enim esse inter impares potest?) sed fato quodam similis ex diversis causis contentio. Hic irascendo pertinax erat, ille incendendo contumax. Quanquam nisi ultimam exprimere confessionem victi utique placuisset, multa jam pridem signa dederant veniæ, finemque pugniæ petentis. Nam quo pertinuisse credimus, quod pauper adolescens relictis omnibus solum me quem coleret, quem amaret, elegerat? Sine dubio à primis ætatis annis junxerat nos potentissimus amor ille puerilis, dum aut nulla erant inter parentes odia, aut à nobis non intelligebantur. Post diductas tamen domos perseveravit, immo impensius laboravit. Et si quid mihi in eo satis perspectum est, nihil horum fecit invito patre. Quantum intelligere potui, pauper sine dubio pudore cedendi, ne damnasse causam suam videretur, simul quod nulla ipsi dabatur gratiæ via, stare visus in suscepto circuitu, tamen quosdam molliores tentavit aditus, & dum firma tandem pax impetraretur, filium nobis obsidem dedit. Ac ne meus quidem offendi visus est pater, certe nunquam reprehendit, nunquam prohibuit: nec clam feci, nec contumacem adversus patris imperia unquam fuisse me vel ipse rerum declarat ordo. Nam quamvis infestum latronibus mare jussus intravi. Neque dissimulaverim magnas fuisse causas patri cur hoc mihi impetraret quod ipse facere non potuerat: ego etsi nesciebam, non interrogavi: satis plena ratio fuit patrem velle. Fœlix navigantium conditio qui procellas modo, & sævos tempestatis incursum, & albentes fluctibus scopulos aliaque pericula tantum maris pertulerunt: ego miser naufragis in video, captus barbaris manibus: nec tam nexu catenarum vinculus, quam pondere, inundatum carcerem tuli, & vincula macie laxavi. Quis non ignosceret omnibus qui post hoc exemplum navigare timuissent? Ergo qua una spe misera trahebatur anima, litteras de redemptione scripsi patri (testor deos) soli. Quid enim

enim sentire viderer de parentis affectu, si hoc incolumi redemptionem ab alio petivissem? Nam quod unum mihi secundum patrem fortuna videbatur parasse præsidium, hoc sperare in illa sorte non poteram. Quid attinebat amico scribere, quem sciebam non habere unde redimeret? Nunquamne mihi dabitur liberum tempus conquerendi apud patrem de amicis suis, qui proficisci volentem retinere tentarunt? qui piæ festinationi attulerunt moras? Profectus esset tamen vel invitis omnibus (quis enim non hoc præstaret filio pater?) nisi quod interim amicus antecessit. Illum non pericula maris, non infesti latronibus finus, non vicinum meæ fortunæ documentum prohibuit. Minus hæc miror de amico: illud est quod pensari nullus beneficis possit, proficiscentem non retinuit pater: immo si quid in subsidia vitæ seposuerat parca frugalitas, id omne in impensas itineris contraxit, & contulit: infœlicissime senex, sic egere cœpisti. Dicam nunc ego per quos juvenis præstantissimus navigaverit fluctus, quos accesserit scopulos, quantos lustraverit finus? Faciliora ista putant qui nunquam navigaverunt. In omnia præceps, sine respectu sui, quem jam tum apparebat vitæ non parcere, adiit, exploravit, & tamen ille quoque qui tanto opere festinabat, sero pervenit. Audite, audite, iudices, novam captivi querelam. Jam miser apud piratas non eram. Alebat devotum corpus gravior omni fame sagina, & inter debita noxæ mancipia contemptissimus tyro gladiator, ut novissime perderem calamitatis meæ innocentiam, discebam quotidie scelus. Hæc tamen omnia sustinui, tuli: adeo difficile est etiam sua causa mori. Et jam dies aderat, jamque ad spectaculum supplicii nostri populus convenerat, jam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant. sedebat sanguine nostro favorabilis dominus, cum me, cujus ut interjecto mari, non fortunam quisquam nosse, non natales, non patrem poterat, una tamen res faceret apud quosdam

I Inter debita noxæ mancipia.] Haud dubie: *dedita*. Gronovius.

dam miserabilem, quod videbar inique comparatus. Certa enim arenæ destinabar victima, nemo munerario vilius steterat. Fremebant ubique omnia apparatu mortis, hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas: hinc virgæ, inde flagella afferebantur. omnes piratas putares. Sonabant clangore ferali tubæ: illatisque Libitinæ toris ducebatur funus ante mortem. Ubique vulnera, gemitus, cruor, totum in oculis periculum. Si quid est in me abdicatione dignum, iudices, unum crimen agnosco, quod in hæc amicum meum misi. Est quidem felicibus difficilis miseriarum vera estimatio, figurare tamen potestis qui tunc animus mihi, quæ cogitatio fuerit. Namque & natura redit in extremis tristis præteritæ voluptatis recordatio & mihi cum generis conscientia, cum ¹ fortunæ conscius aliquando fulgor, cum liberales artes, cum omnia quondam honestiora munerario meo, domus, familia, amici, cæteraque nunquam videnda in ultima mortis expectatione succurrent tenenti servilia arma, & ignominiosa morte perituro, tum (² si ulla miseris est fides) quid horum omnium ignari agerent propinqui, nihil pejus de fortuna mea suspicantes, quam quod scripseram: illud tamen gravissimum, quod patrem, qui tandiu non veniret, captum putabam. Ergo tota cogitatione intentus in mortem, expectabam cruentum illum confectorem. Quis enim dubitet quid futurum fuerit si ego pugnassem? Ille quoque occisus est, qui inter nos, ut apparet, fortior fuit. His cogitationibus attonito, & in mortem jam pene demerso, inopinata subito amici mei species effulsit. Obstupui, totumque corpus percurrit frigidus pavor, neque aliter quam si vana objiceretur oculis imago, mente captus steti. Ubi primum lux rediit, laxatumque est iter voci, Quid tu, inquam, quo casu pervenisti huc miser? Nunquid & te vendidere piratæ? At ille complexus cervices meas, effusis in pectus meum lacrymis,

solu-

¹ Fortune conscius aliquando.] Lego, congruis. Gronovius.

² Si ulla miseris est fides.] Sic Ovi-

dus lib. 9. Met. Si qua fides miseris, hoc me per numina juro Non meruisse nefas. Gronovius.

solutus, intercepto prope jam spiritu, sero, jam trepidante me, primam vocem & diu solam edidit, Satis vixi. Ut vero causas itineris reddidit & venisse se ad redimendum indicavit, & unde inquam tibi pecunia? nisi redisti in gratiam, & te pater meus misit? Audite gentes, audite populi, non solita iudicium nostrum corona circumstet: sed si patitur natura rerum, totus ad cognitionem talis exempli orbis circumfluat. Tacete priora sæcula, in quibus tamen à primordio generis humani paucissima amicitiae paria admirabiliora fecerat longa temporibus nostris fides intercepta, quicquid historiae tradiderunt, carmina finxerunt, fabulae adjecerunt, sub hac comparatione taceant. Quis crederet (si dubitari posset) inter duos amicos, quorum alterum immunem malorum omnium fortuna fecerat, alterum piratis ac lanistæ tradiderat, meliorem conditionem fuisse captivi? Si dives essem, inquit, pecuniam pro te attulifsem. quod unum pauperibus præsidium est, manus habeo, has piratis daturus fui, has pro te in pugnam vicarias dabo. Ignosce pater, quod nimia contentione affectus, pene tibi orbitatis vulnus impresserim. Testor deos non per me stetitisse quod vivo. Neque enim ita me effererat ludus, aut in tantum duraverat animum cædis longa meditatio, ut eum amicum vellem occidi qui pro me mori poterat. Vindicabam mihi fortunam meam, & adhuc necessitatis gladiator depugnare etiam volebam, neque ullis precibus poteram evinci, quanquam se non superfuturum alioqui minabatur, idque unum affirmabat interesse, utrum vicarium mallet habere mortis, an comitem. Non vici. Quid igitur actum sit quæritis? Duxit me ad munerarium, iudices. Quas ego illius preces, quam pertinaces lacrymas, quam miserabilem obtestationem vidi! Nemo unquam sic rogavit missionem. Transferuntur in illum detracta corpori meo arma, & male aptatis insignibus festinatum par producitur. Quid me admonetis supremarum amici mei precum, quibus hæc alimenta caro empta, inopi patris senectuti petita? ad-

1 Inopi patris senectuti petita.] Lego, petii. Gronovius:

juto-

jutorium hoc ac causam putatis? Me pudet quod rogatus sum. Per hanc, inquit, mihi lucem ultimam, per notissimam amoris nostri fidem non sinas mendicare parentem meum. Sustineas, adjuves, præstes affectum, si mereor: tu sis illi vicarius meus. Nec plura dicendi tempus fuit: jamque suprema per galeam dederam oscula, digressisque in diversum ministris permissus Mars erat. O quam sollicitus spectavi! quam attonita mente! quam simili corporis motu! Quoties ad infestum mucronem, quasi ipse peteret, me summi! Quoties ad conatus erectus sum! O misera cogitatio, ô crudelis natura metus, merito tu amice pugnare maluisti. Facinus indignum, illum animum, illum ardorem non contigisse castris, non bellicis certaminibus, ubi vera virtus, nulla pugnandi lege præmium scribitur. Qua vi prælium invaserat, iratus etiamnum tanquam adversario meo, ad omnes impetus excipiebatur callide veterani gladiatoris astu, omnes conatus contra se erant. Nec difficilem tamen sub illo præsertim autoramento habuisset missionem, sed noluit gladiator vivere. Igitur jam nudum corpus vulneribus offerens, ut totam prope mercedem semel solveret, stans periiit. Cui licuit in patria, in domo, inter propinquos, securo consensescere ævo, tranquillam sine reprehensione agere vitam, jacet confectis vulneribus, & primo juventæ flore fraudatus, periiit miser fato meo. At ego qui debebar illi fortunæ quem mors sibi destinaverat, emissus ludo nocentior, quam venditus: etiam viatico illius infelicis revertor. Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi solvendo non sumus. Si qua est fides, iudices, pudet me contra indicare mea beneficia, nec videor vobis rationem posse reddere, quod mihi tam parum objiciatur. Redemptoris mei patri in precium meum orbo, egenti, quid præstiti? Quod pirata capto, quod lanista gladiatoris, exiguam stipem, & cibos semper petendos. Quantulum enim

[*Primo juvenæ flore fraudatus.*] Ovidii est lib. 10. *laberis Oeбалide prima fraude juvenæ.* Gronovius.

enim dari poterat, quod non sentiret dominus tam curiosus? De hac re confedistis, hoc concitavit istam iudicii scenam panis datus mendico: & dilatata hac impotentiae nostrae opinione, videbamus amicos ferro occidere, inimicos fame. Computemus totam istam meae luxuriae impensam, audite summam, & miramini si hos sumptus ne divitiae quidem sustinent. Tanti constat patri captivitas mea, cum tam care redemptus sim. Quo tandem patereris animo, si delicatus adolescens, praesertim splendidis opibus, vel ex aetate mores, vel ex fortuna traxissem, & tempestiva convivium, & pervigiles ludos advocata sodalium turba, solutus atque affluens agerem, tantumque impenderem quantum non posset te ignorante consumi, quae tamen ipsa boni patres libenter annis remiserunt, cum abdicatione dignum putes, & ultimo patriae potestatis fulmine coercendum, quod mendico seni porrexerim, ut parcissime dicam, quod illi filius misit? Non redempta meretrix, non egestum convivium foenus, non lenonum parasitorumque cara adulatio in crimen venit: cibaria senis nempe unius aetate ac malis confecti. Hoc divitias tuas concutit? hoc fundatam paternis avitisque opibus domum exhaurit? Si tam avarus es, computa, adhuc de alieno vixi. At haec fortasse quae circumstat iudicium corona, & omnis ignara causae turba, magnum nescio quod & portento simile crimen expectat. Abdicas me pater tam cito? Modo tibi ex illa funesta peregrinatione in speratus revertor, unde ut venirem, vix optare potuisti. Nulla adhuc pro reditu meo soluta sunt vota, non percussae diis immortalibus hostiae, redemptori certe gratiam non retulimus. At ego expectabam ut desiderio incensus affectus vix posset expleri, ut post infaustam profectioem velut objurgatus tanto periculo, nunquam me posthac saltem peregre dimitteres. Vix salutatis laribus expellor, & apud plerosque dubitari potest an admissus sim. An hoc agis, ne quid tibi praestitisse videatur qui me redemit? Saevus enim credo & impius, & (quod maximum omnium

omnium vitiorum signum est) ingratus beneficia patris non æstimo. Fortasse cui vitam debeam nescio, nulla est apud animum meum memoria meritorum. Miserum me, quod non possum tantum solvere, quantum accepi. Quanquam causas abdicationis pater altius repetit, & ultra peregrinationem meam inquirit, idque ratione duplici. Primum, ut reum quem premere atrocitas criminum non potest, turba confundat: deinde ut gravius videatur iudicium patris, cum is damnet qui solet ignoscere. Cur, inquit, cum ego inimicum haberem pauperem, tu amicum filium ejus habuisti? Volo, judices, omiſſa omni contentione scilicet sic agere, Peccavi, veniam peto: & errare hominis est, & ignoscere patris. Duxit me similis ætas, evicerunt officia, cœpit fides, amantem odisse non potui. Nihilominus satis abundeque pœnarum est: & si pietatem tuam bene novi, plusquam velles, datum est. Quantumlibet peccaverim, quid amplius iratissimus dominus exigeret? Ludo tibi satisfeci. Nullumne cladibus meis finem dari placet? Parum est quod insanos pertuli fluctus, & sævis tempeſtibus commiſſus, arbitrio ventorum pependi? Parum est quod in nefarias latronum manus præda perveni, & (quæ ultima malorum etiam servorum conditio est) sine exceptione vœnalis? Inde me, si voluisset, emere potuit inimicus. Parum est quod me diu piratæ in carcere retentum, quia redemptorem illis divitem promiseram patrem, in ludum vendiderunt tanquam decepti? Quod quotidianæ pugnæ meditatione tandiu mori didici? Quod compositus, armatus inductus perieram, si melior amicus fuisset, nisi me nova¹ velut in portu adoptata tempeſtas paternis laribus extorrem, & necessarii quoque victus inopem, circum ad alienas mitteret domos? Pudet enumerare calamitatum mearum gradus, piratam, lanistam patrem. Atqui pars ista criminis, judices mei, non defendi meruit, sed laudari. Neque enim reperio quid in rebus humanis excogitari

¹ Velut in portu adoptata tempeſtas.] Lege. *adorta*. Gronovius.

tarit natura præstantius amicitia, quid concordia contra fortunam majus auxilium. Nam primum præter cætera animalia induit nostris pectoribus quandam societatem, quæ mutuo gaudere congressu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cum mentibus nostris varios impo- fuerit motus, nullum profecto meliorem benevolentia tri- buit affectum. Quid enim foret humano genere felicius, si omnes esse possent amici? Non bella, seditiones, latro- cinia, lites, cæteraque mala quæ hominibus ex seipsis nata sunt, fortunæ accessissent. Id quia nimium deo visum est, at certe honestis convenire mentibus, fidem colere, amo- ris gratiam referre, omnibus temporibus, omnibus genti- bus præcipuum & quodammodo sacrum fuit (neque enim nisi optimis mentibus contingit, ut aut sic amare sciant, aut sic amari mereantur) hoc ego crimen expavescam? Sci- res quantopere gloriarer pater, si cum amico ego meo re- dissem. Nisi forte similitudine flagitiorum ductus, turpi me conjunxeram juveni, quæ vita sine dubio nomen amici- tiæ non accipit: tametsi ad paria ducente natura, vitia am- borum convenerunt. Objice mihi amicum, & habes male- dicendi materiam. Gladiator fuit, quare amicus illius fuisti? Ita, opinor, pœnitet. Effert te longius dolor, & ni- mia concitatus ira, quo progrediare non respicis. Non sen- tis pater hoc te mihi objicere, quod vivam? Quisquam de illa amicitia quæri potest præter pauperem? At ego inimicum habebam illius patrem. Decuerat quidem, similtates, quas maxime omnium mortales esse voluere sapientes, in his de- finire, in quibus nascerentur. Nam sic quoque immodicas ferit discordiarum fortuna causas, etiam si non hæredita- ria subeamus odia, ac diutius inimicitia maneat, quam inimici. Tamen si quid adversus te ipse commisit adole- scens, sit hostis & meus. Si innoxius, & omni vacans culpa, charitatem mereri cupit, si nullius me amici filius validius amat, qui tandem vis pater respuam, & iratas objiciam manus? Tu quoque non odisses pauperem si te amaret.

Inferit se, & beneficiis certat. Noras adolescentem omnia ultro præstantem, & sic me amabat, quamvis tu esses inimicus patri. Adjice, si tanta in adolescente indoles fuit, quantum nulla unquam cognovere secula: si fides antiquissima, & cum deorum cœtu permixtis inaudita temporibus: si me semper habuit chariorem spiritu suo, etiamne despicienda mihi rarissimi boni occasio fuit? At ego perpetuam quandam mihi gloriam reor, quod ille cœlestis animus me potissimum quem amaret elegerit, quodque ego sim probatus tanto iudice. Me quoque igitur feret fama per gentes, & amici laudibus illustrior vivam. Credet aliquis idem me pro illo fuisse facturum. Cur cum inimici nos essemus, vos amici fuistis? Aliud hoc loco crimen agnosco. Peccavimus enim fateor, peccavimus, quod cum amici essemus, vos inimici fuistis. Hæc, iudices, diutius exequerer, nisi absoluta essent ipso iudice patre. Longum jam istius criminis tempus est, nunquam objecit, nunquam excanduit. Et quid hoc inter nos pater convenit, nisi longiores repetis offensas? Apud malignos videaris me iratus non redemisse. Sed si quid ante commissem odio tuo dignum, potuisti me redemptum non recipere. Manifestum est ergo te patiente, id est, te volente, amicum mihi fuisse juvenem. Et sane non solus in hac fuisti sententia, idem filio permittit & pauper. Atqui si pars hæc causæ, quæ confessione longi silentii absoluta hodie in accessionem criminis alterius deducitur, potest apud vos impetrare veniam, facilius certe sequentium ratio est, ille enim sane fuerit inimici filius, hic jam est amici pater. Nec ignoro, iudices, quam male ista defensio de humano genere mereatur, si adeo nihil est per se misericordia, ut nisi ulterior aliqua necessitas pudori vim fecerit, pro summo crimine damnanda sit minus necessaria humanitas. Ergo si alienum & ignotum, tamen (quæ publica omnium mortalium, quippe sub uno parente naturæ cognatio est) hominem cibo forte juvissem, pœna dignum videretur servasse perituram animam, & ignovisse rebus huma-

huma-

humanis, & respectu communis omnium fortis: velut adorato numini stipem posuisse Fortunæ? Si hoc crimen est, laudetur ergo crudelitas, nihil habeatur piratis lanistisque prudentius. Ferantur sane profutura humano generi duo exempla, intra tam breve tempus propter misericordiam alter abdicatus, alter occisus. Quod crimen si fatendum sit, non animum mihi ipse finxi, aut mea potestate regitur affectus. in arbitrio formantis mores omnium naturæ compositus, cum crimine meo natus sum. Nam siue cœlestis providentia, siue irrationabilis casus, siue assignata siderum cursu nascentibus nobis necessitas, multa varietate pectora nostra distinxit, nec minus numerosas animorum quam corporum dedit formas. Sunt quorum mentes etiam nocentium supplicia confundant; qui ad omnium sanguinem pallefcant, ignotorum quoque miseris illacryment. Sunt contra qui ne suorum quidem misereantur. Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conspectum tremit. Noli me æstimare mea fortuna pater, non habeo gladiatoris animum. Utinam quidem mihi causa permetteret sic gloriari, Juvenis conceptus splendidis parentibus, cum solum tam speciosæ fortunæ crederem fructum posse prodesse, & contra varios mortaliū casus quasi portum benignitatis aperire, concupivi quandam humanitatis civicam gloriam, periturum hominem, siue ille naufragio ejectus, siue spoliatus incendio, siue exutus latrocinio erat, naturæ patriæque restitui. Paria tecum facio respublica, quæ propter me unum civem perdidit. Hæc me magis decet impensa, quam vestis, quam argentum, quam ubi laus emitur. Ubi enim pecunia melius poni potest quam ubi fœnus bonitatis extenditur? Magna conscientia est, felicitatem meruisse. Ignotus sane sit & alienus: quid fuerit ante, non quæro, post hæc erit amicus. Et hercle quo quisque plus potest, quoque latius

1 2

patet

1 Ubi fœnus bonitatis extenditur.] Tacitus de morib. Germ. Fames agitare & in usuras extendere ignotum. Gronovius.

patet ad fortunæ incursus, hoc magis cogitare debet atque respicere, quantum in nos fortunæ regnum sit, quam instabili sede humana consistant. Non me aurata laquearia, nec radiantes marmore columnæ, nec graves crustæ fecerint immemorem fragilitatis. Multa sæpe & locupletibus accidunt, sæpe in imum summa decidunt. Ego vidi pauperem auxilia diviti ferentem. Sed sane superbius æstimet miseras longa felicitas, & alienum casum facile despiciat securus sui. Ego quoties auxilia calamitatis petere aliquem video, non possum non moveri fortuna mea. Succurrit mihi continuo tempus illud, quo ipse clementiam optabam. Ignosce pater, si penitus animo meo hic insedit affectus: amare misericordiam miser cœpi. Sed inimicus, inquit, meus est. Nam quis nos tantopere laudaret pater, si hoc amico præstaremus? Hæc est celebranda virtus, hæc animi suspicienda moderatio, vincere iram, & inter similtates quoque meminisse hominis. Ut Fabio Maximo immortalæ attulit laudem, ereptus est hostium manibus inimicus: ut Tiberium Gracchum admirata civitas est, Scipione in carcerem duci prohibito: te quoque similis animi magnitudo memoriæ dabit. Tuis enim opibus vivit inimicus. Quicquid est istud quod senex inops ex nostra domo accipit, si non irasceris, tu præstitisti, tibi hoc pulchrum atque magnificum est. Nam ego si quid in patrem fervoris mei confero, non sum laudandus. Neque expectaveris hoc loco pater, ut illa dicam, Semper odiorum honestus occasus est: & dum similtates nihil aliud habent quam nocendi cupiditatem, speciosa in melius animi mutatio est cum exempli honore, junctæque ex hostili pene concursu in affinitatem manus. Unde tantum misero boni, ut inimicus sit? Aspice solum, egentem, senem, omnibus præsiidiis destitutum: nonne contumeliam fortunæ tuæ facis, si hunc odisti, & adhuc tua putas interesse ne vivat?

Nulla

¹ Ereptus ex hostium manibus inimicus.] Quia non Scipionem appellat Gracchi inimicum, videtur & hic non-
 men posuisse: ereptus ex hostium manibus Minucius. Gronovius.

Nulla tibi contingere major ultio potest, quam si talis est, ut illius etiam nos misereamur. Magna mehercle jam de vetere æmulo pœna superest, panem eripere mendico, & gravissimæ per se fortunæ manu pondus imponere. Age si perisset, cadaver calcasses? Feræ mehercle generosiores, jacentes transeunt: & reservati hostes, restitutæque urbes majora causæ exempla sint: quod scio, victis etiam gladiatores parcunt. Post orbitatem, post egestatem, quid amplius potest pati, nisi quod optat? Ulteriorne tibi aliqua ultio quærenda est, aut aliquid rerum natura pejus capit? Quis non te omnium mortalium inhumanissimum putet, si hoc adversus inimicum tuum saltem optasti? Si me hercle inexpiabiles odiorum causæ, & compositis quoque fabulis ulteriores inimicitia fuissent, ausim dicere, si propter illum liberos perdidisses, accipienda tamen erat à fortuna talis satisfactio: certe ad vitandam insolentia opinionem, quæ fere immeritam quoque potentiam carpit, ne vagaretur per urbem invidiosus mendicus, & calamitatis auctori causas vulgus regereret odiorum. Nescio quomodo omni pro laborante favor est, nec ulla perpetuam gratiam servat nisi modesta victoria. Nostra potissimum clementia sustineatur, ne illius alii misereantur. Facilis, ut animadvertere vos spero, judices, defensionis meæ cursus est. Antequam incipiam habere causam nimium bonam, hic jam conscientia trepidat, & ratio velut inter binos deprehensa scopulos, cum aliud objiciatur, aliud defendendum sit, hæret in dubio: cum beneficiis meis computare non audeo. Cognovistis expositionem causæ, quanta quamque excedentia fidem adolescentis optimi merita narraverim. hæc mihi omnia sine dubio ille præstitit. Sed quid interest? debitor delicatus sum. Quid in hac parte defensionis agam, judices? dicam, referre gratiam beneficiis volui: Itane tandem aliquis mendicare amici patrem æquo animo visurus fuit? At ille me redemit, cui nihil retuli. Dicam moveri me supremis amici mei precibus? Egregia vero comparatio. At

ille mihi præstitit, quod non rogavi. Utro me vertam? Tanquam honestum defendam factum, an tanquam necessarium? Alterum absolvi facilius potest, alterum laudari rectissimum opinor. Veritatis interest. Audi pater, alimenta ista quæ donata egenti putas, quanti illi constant. Si accepto captivitatis meæ nuncio, nullis precibus adductus, nullis epistolis vocatus adolescens ad liberandum me vinculis piratarum profectus esset, quibus tamen meritis pensarem, cum id mihi præstitisset, quod ego tantum à patre speravi? Intrare maria præsertim jam recenti documento timenda, & latrones ultro quærere, & cum præter vicarias manus nihil esset, navigare voto captivitatis quis posset aliis quam qui paratus esset pro amico mori? Magnum hoc per se, ac seculo nostro vix credibile, iudices. Illud vero omni prædicatione majus, ad redimendum me profectus est, cum mendicaturum patrem suum sciret. Atqui sperare poterat futurum, ut sine periculo suo redimeretur nihilominus amicus, cum haberem divitem patrem. Sed noluit ipsum itineris apparatus, & ne qua periret redemptionis hora, præceps cucurrit. Prò fidem deum hominumque, quemadmodum ad redemptionem amici festinat etiam cuius pater lentus est? Terentium, quem inter cæteros captivos secundo Punico bello Scipio Africanus vinculis exolverat, memoriæ tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testante in triumpho ducis esse conspectum. Et ille quidem majoris momenti accessione publicam senserat felicitatem, privatim tamen debere se putavit victoriæ beneficium. Quid me facere convenit qui per maria latrociniiis infesta solus petitus sum? qui lucem, libertatem, denique quicquid patri debeo, non ignarus, ut primo natalis horæ tempore, sed videns sentiensque acceperim? nec solum donatus his bonis, sed summis periculis liberatus sum? Nonne me ex amici fide natum, & tenacioribus beneficiorum vinculis fatear esse constrictum? Miserrime, amice fidelissime, ingratum me moriendo fecisti. Et quantulum est quod

est quod adhuc loquor de mea infelicitate, de piratis? Levis est ista fortuna, hæc etiam nunc recepit moram. Solent expectare latrones redemptorem. In ludo fui: qua pœna nullam ulteriorem scelera noverunt, cujus ad comparationem ergastulum leve est. Hoc si scisses, pater, affirmo, promitto, cujus pietatis es, nemo te antecessisset. Illa certum habeo expectas ut dicam. morabar inter sacrilegos, incendiarios, &, quæ gladiatoribus una laus est, homicidas inclusos turpiore custodia, & sordido cellarum situ. Jamque in eam veneram fortunam ut me victum recipere non posses, victorem nolles. Aderat hora supplicii mei, qua nusquam morandum: jam præbendus erat jugulus, & fundenda vita cum sanguine. Neque enim dubitare de eventu licet. exemplar fati mei vidi. Si me ab his imminentibus malis pecunia redemisset, beneficium tamen potius dicerem magis æstimandum esse, quam precium. Sed apud malignos interpretes posset videri vel spem secutus aliquam venturi temporis, vel præsentis voluptatem. Hoc admirabile: & uni tantum pietati referendum est. dedit beneficium quod nunquam reciperet: & cum amicum quem redimebat habiturus non esset, nihil aliud emit quam honestam mortis conscientiam. Transtulit ergo in te fortunam meam, subiitque non solum fortiter, sed etiam libenter id quod mihi miserum putabat. Res dictu incredibilis, gladiator dimissus, redemptor occisus est. Recepit pectore adverso ferrum, ut quasi quam emittebat animam, in meum pectus transfunderet: & hoc uno tristis occiditur, quod amplius amicum visurus non erat. Eant nunc antiquarum conditores fabularum Poëtæ, & se ad exhortandam amicitiae fidem magna quædam composuisse carminibus putent, si dixerint aliquos per maria terrasque asperiores fortunam amicorum tantum secutos, aut principem Græciæ virum in ultionem interfecti amici inauspicata bella gessisse. Nam inter fratres quoque illa maxime admirabilis, tamen alterna mors est. Una fingitur conjunx, quæ

jam perituri vitam mariti vicaria morte sua redemit: adjiciturque miraculo fabulæ, fecisse hoc eam quod non præstitisset pater. En indubitabile seculi decus, & fictis majus: ut moreretur pro me amicus, suum reliquit patrem, meum vicit. Et sane quid profuisset festinatio patris, etiam si ad redimendum me prior forte venisset? Hoc me precio nemo alius redemisset. Neque vero plurimum fuit præstitisse mortem. namque interim specioso titulo bene vita pensatur. illud vero existimo gravius, nomen gladiatoris accipere, subire dominum lanistam. Minus, te, amice, laudarem si vicisses. An ille animus rediret in cellulam, ferret faginam, magistrum, personam denique sceleris? Mea depugnasti causa, tua peristi. Hæc tamen omnia ultimæ fortunæ nomina, ut mihi detraheret, induit sibi. Venit in arenam homo nec sceleratus, nec infelix. Ecquando, judices, hoc audistis? Bonitate sua gladiator factus est. Utinam, judices, hæc quæ illi speciosa sunt, tam honesta essent & mihi. Quoties ad infelicissimum respexi senem, cujus orbitate vivo, cum confectum cladibus, & tantum pœnæ suæ residuum considero: verum fatendum est, pudet me precii mei. Video senem meliore sui parte præsepultum, omnis etiam spei superstitem, orbem, destitutum. illud tamen solatium est, quod nisi talem amicum habuissent, hæc de te dicerentur. Huic patri invidiosa quædam, opinor, & quæ beneficio mortis pensetur, criminosa liberalitas contigerit egenti. Alioqui duo egentes, & circa omnium vel ignotorum domos stipem rogabimus pariter. Si quis grandis natu parens est, miserebitur senis: si quis juvenis, filius, miserebitur adolescentis. Fortasse proderit mendicaturus mihi, quod ipse aliquando egentem pauperem alui. Accipe satisfactionem, in quacunque parte rerum naturæ es, amice charissime. non excidère mihi tua mandata: fortuna deficit, opes auferuntur. Quod unum mihi relictum est, en polliceor patri tuo vicarias manus. Quid vis porro faciam? Agrestia opera delicatior aggrediar? hoc à fortuna non dicitur:

dici:

dici: & quotidiani quæstus operis duobus egentibus non sufficit. Miserum me si exolvere fidem voluero, fortasse mihi in ludum revertendum est.

DECLAMATIO X.
SEPULCRUM INCANTATUM.

ARGUMENTUM.

Male tractationis fit actio. Quæ amissum filium nocte videbat in somnis, indicavit marito. Ille adhibito mago incantavit sepulcrum. Mater desit videre filium. Accusat maritum male tractationis.

PRO UXORE CONTRA MARITUM.

QUAMVIS, iudices, inter eos qui liberorum mortibus destituti, cuncta vota & præparatas spes in senectutem ante se egerunt, id fere acerbissimum certamen conflictationis oriatur, ut unusquisque luctibus ac lacrymis suis credat accedere quandam dignitatem, si miserimus esse videatur: hæc tamen foemina neque noto neque publico genere miserabilis, non impudenter inter cæteras matres quæ aut unicos aut juvenes pios filios perdiderunt, eminere & occupare quandam mœrentium principatum differentia novæ calamitatis affectat, quæ sola omnium supra fidem infelix in uno filio jam alteram patitur orbitatem. Priorem quidem illam, ut communem cæteris, & fato accidentem, fortius utcunque tolerabat. Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera nisi dies, nec jam timebat ne ille quo fruebatur, mori posset. Planctibus lacrymisque, pene improbe dixerim, parcius utebatur, nec sibi permittebat dolor lugere venientem. Nunc destituta solatio, persuasione fraudata, dum non putabat perisse quem poterat videre, eripuit ingrata filio alterum titulum. Miser ille nisi teneretur, jam ad patrem veniret. Tantum misera petit, ne minus perdidisse videatur, quam ipsa desiderat. Non inani persuasione, nec cogitationibus ficta lugentis umbra veniebat, nec agitabat incertos levis imago somnos, ac ne confusi quidem tristi cinere vultus, & infernum favilla

I 5. caput

[Infernum favilla caput.] Legendum videtur, *inferme*. Gronov.